

quibus israelitæ rudes et sensibilibus assueti de suis officiis monebantur : v. g. sacrificiis se esse peccatores et pœnis dignos confitebantur ; primitiis quæ juxta legem erant Deo offerendæ , supremum Dei dominium agnoscebant , gratiasque ei agebant. Ablutiones externæ animos debere esse sceleris puros significabant. Circumcisio concupiscentiam esse reprimendam judæos admonebat , necnon ipsos esse populum Dei , populum dilectum et peculiariter Deo consecratum. Festa et cæremoniæ plures prodigiorum , quæ ipsorum gratiâ Deus operatus fuerat , ipsis memoriam refricabant. Leges quæ prohibebant ne ipsi cum alienigenis consociarentur et connubarent , non minùs erant sapientes ; siquidem hæc viâ avocabantur ab idololatriâ gentium , ad quam semper proclives fuerunt. Moïses jusserat ut à carnibus quorundam animalium abstinerent judæi , sive quia illæ carnes in Palæstina erant nocivæ , sive quia pagani consueverant iis carnibus uti in suis sacrificiis idololatricis. Ex his concludere leges judæorum cæremoniales , licet non fuerint æquè perfectæ ac leges christianæ , tamen fuisse optimas , si spectantur tempora , status , et indoles judæorum qui adhuc erant crassi et rudes , cultûsque perfectioris minimè capaces. De utilitate cæremoniarum mosaicarum consuli possunt plures eruditi , v. g. Marshamus in chronico Canone ægyptiaco et hebraïco ; Spencerus de legibus hebræorum ; et Clericus in Pentateuchum. Leges civiles et politicæ non minùs fuerunt sapientes , uti fusè ostendit Vernetus , tom. 1. pag. 180. Ergo leges mosaicæ quæ sunt omnibus aliis antiquiores , sunt tamen sapientis-

simæ et omnibus aliis multò perfectiores ; ergo non sunt solius ingenii humani opus ; ergo à Deo dimanant.

His omnibus addi potest judæos , qui jam tum in multitudinem innumerabilem excreverant , leges mosaicas quæ sanè sunt acerbæ , cupiditatibus adversæ , quæ non rarò sub pœna capitis ipsos obligabant , nunquàm fuisse acceptaturos , nisi Moïses clarè sive miraculis , sive prophetiis , sive aliis argumentis quæ illorum pervicaciam frangerent , suam missionem comprobaasset. Equidem possibile est , historiâque didicimus principes et legislatores populis leges merè humanas dedisse ; sed istæ leges erant indoli populorum accommodatæ , vel cupiditatibus favebant , vel isti populi armis et terrore ad obsequium cogebantur. At verò impossibile est ut homo omni humano auxilio destitutus integræ genti jugum durum accipiendum esse et acerbæ leges admittendas suadeat , ita ut mortem perpeti eligant cives potiùs quàm leges istas infringere , nisi homo iste sese à Deo missum manifestis argumentis demonstret.

SOLVUNTUR ARGUMENTA

quæ contra precedentes propositiones objiciuntur.

Contra primam propositionem.

OBJ. 1^o Fama deorum paganismi , v. g. Jovis , Mercurii , Apollinis , non minùs apud paganos fuit celebris , nec minùs constans , quàm Moïsis apud judæos : atqui

tamen fama hæc non probat illos Deos existisse; ergo pariter existentia Moïsis per constantem famam probari non potest.

R. 1^o Nimiùm probare istud argumentum. Exindè enim consequeretur admitti non posse, vel saltem dubiam esse Cæsaris et Alexandri existentiam; siquidem Jovis, Mercurii, etc. nomina non fuerunt minùs famosa, quàm Cæsaris et Alexandri.

R. 2^o Concedo totum, ex quo ad summum inferri potest existentiam Moïsis per solam famam et celebritatem non posse probari. Jam verò, etsi ita esset, non indè concludi posset incertam esse Moïsis existentiam, cum aliundè monumentis ac testimoniis certissimis à nobis comprobata fuerit, dum è contrario historia deorum nullis monumentis aut testimoniis certis innitur, ab ipsisque paganis autoribus sæpè irrita est. Hinc comparatio nulla est.

R. 5^o. DIST. MIN. Non probat deos existisse cum omnibus circumstantiis quas fingebant pagani, concedo: eos simpliciter existisse et fuisse viros famosos, nego. Certum enim videtur deos paganorum, saltem plurimos, fuisse viros percelebres qui, cum aliis perfectissent et ipsis admirationi fuissent, inter deos post mortem annumerati sunt. De his lege Huetium, præp. Evang. vel librum cui titulus, *la Mythologie et les fables expliquées par l'histoire*. D. Banier.

OBJ. 2^o. Nihil certum est in historia antè bellum trojanum aut thebanum, ut consentiunt eruditi post Huetium. Ergo Moïsis existentia dubia est ac incerta.

R. DIST. Nihil certum est in historia profana antè

Lellum trojanum, esto: in historia, sacra nego. Fatentur quidem eruditi, saltem plures, ante bellum trojanum in historia profana nihil esse certi, quia quæ tunc contigere, à nullo autore cœvo scripta fuerunt; at idem affirmari non potest de historia sacra, ut probavimus.

ARGUMENTA

contra secundam propositionem.

OBJ. 1^o. Sic incipit liber Deuteronomii: *Hæc sunt verba quæ locutus est Moïses ad omnem Israël trans Jordanem*. Hæc, inquit Spinosus, si scripsisset Moïses, animadvertere debuisset se hæc scribere non trans Jordanem, sed cis Jordanem (*en-deçà*) cum ille nunquam fuerit trans Jordanem quem non trajecit. At verò cum Esdras esset in terra sancta, intereadum hæc scribebat, dicere potuit hæc verba fuisse prolata à Moïse trans Jordanem quia respectu terræ sanctæ Moïses erat trans Jordanem positus. Ergo non Moïses, sed Esdras Deuteronomium scripsit.

RESP. Vocem hebraicam, *beheber*, quæ vertitur, *trans* significare juxta omnes hebraizantes (vide Buxtorsii, Paganini Lexica) *in transitu, au passage*, ut notat Pater Houbigant in radicibus hebraicis seu *ad ripam*, ut observat idem autor in suis bibliis. Consequenter illa vox est ambigua, et aliquandò ceteriora, aliquandò ulteriora designat; proindèque ex orationis serie et subjectâ materiâ æstimari debet quo sensu sit

intelligenda. Ergo cum Moïses nunquam transierit Jordanem, sed fuerit tantum in ripa et quasi in transitu, ibi vox *beheber*, significat, *in transitu*, ad ripam, vel citra Jordanem. Hoc ultimo sensu accipitur eadem illa vox Josue, cap. 9, v. 4, et Deuteron., cap. 5, v. 8.

Notandum est in textu samaritano, in versionibus arabica, syriaca, et paraphrasi Onkelos eandem esse ac in textu hebraico ambiguitatem, quae consequenter eodem modo explananda est.

Septuaginta autem Interpretes et post ipsos versio vulgata verterunt, *trans Jordanem*, quia, respectu terrae sanctae juxta quam judaei solent consignare plagas et situs locorum, regio in qua haec à Moïse dicta sunt, erat trans Jordanem; vel forsàn potius quia, cum illae versiones exaratae sunt, judaei Jordanem transgressi fuerant, et consequenter regio praedieta, eorum respectu, erat trans Jordanem.

OBJ. 2°. Moïsen esse autorem Pentateuchi non probat consensus scriptorum, sive sacrorum sive profanorum. Nam duntaxat Moïsen dicunt autorem legis: atqui lex Pentateuchum non designat. Nam Deuteron. 27, Moïses jubet ut, trajecto Jordane, inscribantur *omnia verba legis* lapidibus altaris in monte Hebal erecti; idque praestitit Josue, cap. 8. Jam verò Pentateuchus lapidibus istius altaris totus inscribi non potuit; siquidem ex constanti judaeorum traditione, non fuerunt isti lapides, nisi duo, vel quatuor, vel octo, vel ad summum duodecim. Hinc juxta plures doctissimos interpretes, Josue lapidibus inscribi non curavit nisi Decalogum, vel forsàn duodecim maledictiones et be-

nedictiones quae in eodem Deuteronomio memorantur.

R. 1°. N. MAJ. Sive lex significet totum Pentateuchum, sive non, parvi refert. Nam non probavimus tantum Moïsen esse autorem libri legis, sed etiam totius Pentateuchi. Illud evicimus ex constanti traditione judaeorum, christianorum et mahumetanorum, qui sanè omnes totum Pentateuchum Moïsi assignant. Illud insuper probavimus ex autoribus sive sacris sive profanis, qui Moïsi non tantum legem tribuunt, sed totum Pentateuchum. Ex sacris quidem autoribus, siquidem multas seu veteris, seu novi Testamenti sententias citant sub nomine Moïsis, quae non reperiuntur in Decalogo, nec in Deuteronomio, sed in aliis Pentateuchi libris, v. g. in Levitic. Numer. etc. Ergo, juxta auctores sacros, Moïses non modò fuit autor legis, sed etiam aliorum Pentateuchi librorum. Ex profanis, v. g. ex Longino qui haec verba Geneseos, *fiat lux et facta est*, ut sublimia refert, et Moïsi tribuit. Ergo ex Longino Moïses fuit autor Genesis, non solius legis. Ex Juvenali qui dixit ingens volumen scripsisse Moïsen; sola enim lex ingens volumen non daret. Ergo, etc.

Haec sanè sufficiunt ad plenam hujus argumenti enodationem. Verumtamem ad praedicti testimonii elucidationem et intelligentiam quaedam addemus.

1°. Voces istae, *liber legis*, sine addito, saltem ab Esdrae temporibus ac juxta usum judaeorum ante Christum, totum Pentateuchum significabant, non verò solum legem, vel solum Deuteronomium. Illud constat eo quòd, ut modò dixi, veteres scriptores sacri permulti laudaverint sententias tanquam conclusas *in lege*

Moïsis, vel in libro legis, quæ tamen non leguntur nisi in aliis Pentateuchi libris. Nihilominus tamen non raro Deuteronomium dictum est, *lex*, per excellentiam, satisque ex adjunctis cognoscitur an de Pentateucho vel Deuteronomio agatur.

2°. Dicimus *verba legis, sermones legis* in Pentateucho frequenter significare Deuteronomium: et reverà in textu objecto id significant; siquidem Josue, cap. 8. Moïsis jussis obsequens scripsit super lapides Deuteronomium legis; sicut præceperat Moïses. Ergo errârunt interpretes, et quicumque alii qui crediderunt hinc mentionem fieri de præceptis Decalogi, vel duodecim maledict, etc. non verò de toto Deuteronomio.

Neque dicatur Deuteronomium duodecim lapidibus inscribi non potuisse. Etenim illi lapides Deuteronom. 27 v. 2. ingentes esse debebant. Ponite itaque lapides istos constare sex pedibus, seu 72 pollicibus altitudinis; et quatuor pedibus, seu 48 pollicibus latitudinis. Fingite medium pollicem sufficientem fuisse ut una litera clarè et lucidè inscriberetur. Hæc factâ hypotesi, si nullum esse vacuum inter lineas in tota altitudine, tunc forent 144 lineæ. Demus autem spatium inter lineas esse unius semipollicis, tunc non erunt nisi 72 lineæ. Unaquæque verò linea juxta latitudinem extendetur, et consequenter occupabit 48 pollices; cùm insuper unaquæque litera, ex hypotesi, sit medii pollicis, hinc tota linea habebit, 96 literas, quæ si multiplicentur per 72, seu numerum linearum, productum totale erit 6912. Igitur in quolibet lapide inscribi potuerunt 6912 literæ. Consequenter in duodecim lapi-

dibus inscribi potuerunt 82944 literæ. Jam verò calculo inito (quod facillè fieri potest, computatis unius paginæ literis, illisque per numerum paginarum multiplicatis), ad summum in toto Deuteronomio 62000 literæ comperiuntur; ergo totum Deuteronomium duodecim lapidibus inscribi potuit.

Notandum sedulò nos argumentatos fuisse in hypotesi in qua in uno lapidum latere tantum inscriberentur literæ. Hinc, 1°. si in duobus lateribus inscriptæ fuissent, suffecissent sex lapides. Hinc, 2°. si fingantur lapides paulo grandiores ita ut unusquisque fuerit cubus sex pedum, si insuper lapides fuerint separati, et in quatuor lateribus inscriptæ fuerint literæ, computo facto, duo lapides sufficiebant.

Neque dicatur altaria apud judæos fuisse exigua: id enim falsò assereretur. Nam scribit Josephus contra Appionem exstitisse Jerosolymis altare, cujus latera erant 20 cubitorum et altitudo 12. In simili autem altari totus Pentateuchus facillè inscribi potuisset.

Notandum insuper numerum lapidum qui ad prædictum altare exstruendum inserviêrunt, in Scripturâ non memorari, sed à solis judæis fuisse confectum: consequenter augeri posse hunc numerum, si duodecim ad inscriptionem totius Pentateuchi non suffecerint.

OBJ. 5°. Genes. 12. v. 6. legitur: *Pertransivit Abraham terram (Chananeam) usque ad Sichem; chananæus autem tunc erat in terra ista.* Undè sic argumentor. Autor Pentateuchi non scripsisset: *chananæus autem tunc erat in terra Chananæa*, si ad-

huc in ea terra fuisset eo tempore quo scriberat; ergo eo tempore quo scriptus est Pentateuchus, chananæus non amplius erat in terra Chananæa: atqui tamen, vivente Moïse, chananæi adhuc aderant in ea terra; ergo Moïses non est autor Pentateuchi.

R. N. MIN. Nam sive terra chananæa ab aliis antè chananæos fuerit occupata, ut conjicit ipse Abenésra, sive non, certum est saltem chananæos non semper terram istam incoluisse; siquidem filii Noëmi paulatim varias terræ partes occupârunt. Hoc posito, sic accipiendus est ille textus. Chananæus autem jam tunc (gallicè *alors, dès lors*) erat in terra ista; cum nempè Abrahamus illuc accessit, jam ibi erat Chananæus. Nec dicas ad significandum, *jam tunc*, dicendum fuisse hebraicè *meaz*, vel *minaz*, non verò, *az*, ut legitur in textu objecto; siquidem fatente ipso Abenésrà, *az* idem significare potest ac *minaz*.

OBJ. 4°. Certè Moïses non est autor libri, in quo plura leguntur urbium et locorum nomina tempore Moïsis incognita, quæque non fuerunt in usu, nisi post ipsius ætatem: atqui in Genesi plura leguntur nomina, etc. Nam, 1°. Genes. cap. 10 *Ninive* dicitur à Nemrod ædificata, quæ tamen, juxta Strabonem, à Nino fuit exstructa ex quo probabiliter nomen sumpsit. Porrò Ninus non vixit, nisi post Moïsen. Ergo civitas *Ninive* hoc nomine appellata non fuit, nisi post Moïsen; ergo Moïses non scripsit Genesim in qua vox illa reperitur. 2°. Genes. 44. Abraham dicitur reges persecutus usque ad Dan; tempore autem Moïsis hæc civitas dicebatur *Lais*, vel *Lezem*. Hæc *Dan* tantum ap-

pellata fuit cum capta est à Tribulibus *Dan*, ut patet Josue 49. 5°. In Genesi mentio habetur chaldæorum, qui tamen sic non fuerunt dicti nisi longo tempore post Moïsen, nempè à Chaldæo qui decimus-quartus post Ninum règnavit. 4°. Mons in quo Abraham jussus est mactare filium in Genesi dicitur, *Moria*, dum tamen constat ex Paralip. lib. 2, cap. 5. hunc locum sic non fuisse dictum, nisi post ædificationem templi. 5°. Genes. cap. 45. legitur nomen *Hebron*: atqui tamen nulla urbs hoc nomine appellata est tempore Moïsis, sed postea sic dicta est ex *Hebron* nepote Caleb, ut constat ex libro Josue. 6°. Nonnisi post Moïsen turris hierosolymitana dicta est *Turris gregis*: atqui tamen Genes. 25. hoc nomen reperitur. 7°. Deuteron. 11. sermo habetur de Galgala: atqui tamen Josue 5. locus ille non fuit hoc nomine donatus, nisi post Moïsen et sub Josue, quando nempè circumcisi sunt Israëlita.

R. 1°. N. MAJ. Licèt enim quædam nomina nonnisi post Moïsen usitata in Genesi legerentur, concludi non posset Moïsen non esse hujus libri autorem: fieri enim potuit ut hæc recentiora nomina in margine, vel spatiis intermediis adjicerentur, ut faciliùs intelligeretur quid significarent, et ubi sitæ essent regiones antiquis donatæ nominibus tunc multis inintelligibilibus, atque sic deinceps textui insererentur. Mutationes ejusmodi ad faciliorem libri intelligentiam forsàn injectæ substantiam libri non tangunt, nec impediunt quominus adscribendus sit auctori cui vulgò tribuitur.

Et verò quis ignorat quædam in Homero, v. g. aut

in aliis autoribus deprehendi, quæ critici censoriâ virgulâ notant ut spuria, ab illis autoribus non scripta, casu aut de industria ab aliis addita. Nihilominus tamen hæc opera ut genuina habentur, fides iis adhibetur; autoribus quorum nomina præ se ferunt adscribuntur. Ergo, pari jure, etc.

R. 2°. N. MIN. Ad primum. Si Moïses et autores profani de initio et ædificatione urbis *Ninive* inter se dissentiant, certè præ aliis credendum est Moïsi qui est antiquior omnibus, et cujus opera non possunt esse supposita, ex probatis: cùm ex adverso autores profani nihil habeant certi circa *Ninive* initia, ut notat Borchartus, et cùm ipsi fateantur nihil certi antè bellum trojanum in profanis reperiri. Præterea, affirmant plures chronologi Ninum tempore Abrahami, consequenter antè Moïsem vixisse, et nomen dedisse urbi *Ninive* quæ quidem à Nemrod ædificata est, sed à Nino multùm amplificata. Insuper, plures eruditi asserunt Nemrod de quo Moïses loquitur esse Ninum profanorum, huncque duplici nomine fuisse donatum, ut sæpè contigit. Atqui in duplici illa sententia quæ non repugnat nulla difficultas. Ergo, etc.

Ad secundum. Existebat antè Moïsem locus nomine *Dan*, distinctus ab urbe quæ istud nomen accepit, cùm capta fuit à tribulibus *Dan*. Sciunt enim omnes Jordanem suum habuisse nomen ex duplici fonte à quo originem ducebat cujus alter *Jor* dicebatur, alter verò *Dan*. Dici igitur potest Abrahamum persecutum fuisse hostes usque ad *Dan* fontem Jordanis, vel ad alium locum sic appellatum.

Ad tertium. Dici potest Chaldaeam jam fuisse et sic nominatam tempore Moïsis, regemque chaldaeorum suum nomen non dedisse chaldæis, vel saltem tantùm dedisse chaldææ meridionali, non verò septentrionali de qua loquitur Moïses. Vidè Stephanum Bysantium, in suis geographicis, ad vocem *Kaldaioi*.

Ad quartum. R. nomen, *Moria*, ortum esse ex istis verbis Abrahami, *Deus providebit*. At temporibus Abrahami mons de quo agitur sic appellatus fuit, ut distinctè legitur Genes. cap. 22. Ergo ista vox non est Moïse recentior.

Ad quintum. Quis asserere potest duplicem non fuisse locum cui nomen, *Hebron*, sicut duplex locus cui nomen, *Dan*, etc.? Aliud, nequiquam probatur, nec probari potest urbem *Hebron* ex Hebrone Calebi nepote nomen accepisse. Constat ex Scripturis primitivos terræ promissæ incolas aliquandò ex urbibus expugnatis nomen sumpsisse. Fortè igitur Calebi nepos ex urbe Hebron nomen accepit, nedum ipsi daret.

Ad sextum. Duplex fuit *Turris gregis*, alia propè Bethlemam, teste S. Hieron. alia Hierosolymis; nec una cum altera confundi debet.

Ad septimum. Duplex fuit *Galgala*, nec contrariam ostendi potest.

Sed dices contra primam responsionem. Juxta regulam criticis ab omnibus admissam, nova nomina probant libri suppositionem, vel saltem librum non esse autoris qui sit illis nominibus antiquior. Hinc tot libri ut suppositi ab eruditis recogniti sunt. Ergo, etc.

R. DIST. Probant libri suppositionem, vel saltem, etc.

Nisi aliundè certissimè constet librum non esse suppositum, et esse auctoris cui tribuitur, concedo : aliter nego.

OBJ. 5°. Vox, *Nabi* (propheta) cap. 20. Genes. v. 7. legitur : attamen in usu non fuit nisi post Moïsis ætatem, ut colligitur ex lib. 4. Reg. Ergo Moïses non est autor Genesis.

R. Vox, *Nabi*, id est propheta, tempore Moïsis obtinuit, dein ei successit vox, *videns* : sed rursùm postea obtinuit et usitata est lib. 4. Reg. Nulla est in eo difficultas quæ nos tantillum retardare possit.

OBJ. 6°. Genes. 4. Josephus eunuchum Pharaonis sic alloquitur : *furtò sublatum sum de terra Hebræorum* : atqui Moïses non potuit Josephum sic loquentem inducere. Tempore enim Josephi unica familia, nempe Abrahami, terram chananæam habitaverat ; consequenter hæc regio non poterat tunc appellari *terra hebræorum* : Si hæc dixisset Josephus, eunuchus Pharaonis non potuisset intelligere de qua terra loqueretur. Ergo, etc.

R. Tempore quo loquebatur Josephus, omnes Jacobi filios et nepotes, omnesque Esaü posteros, qui cuncti hebræi erant et dicebantur, in magnam multitudinem excrevisse, vicinisque gentibus sat cognitos fuisse, ut eunuchus Pharaonis non potuerit ignorare equam terram significaret Josephus.

OBJ. 7°. Si Moïses esset autor Pentateuchi, de se non locutus fuisset in tertia persona, semetipsum non laudasset vir modestissimus, nec sese dixisset *omnium virorum mitissimum* : atqui tamen Moïses in Penta-

teucho loquitur in tertia persona, et laudatur ut vir mitissimus, etc.

R. N. MAJ. Ad primum. Julius Cæsar, Josephus, Xenophon, Esdras, S. Paulus de se loquuntur in tertia persona in libris quorum sunt auctores, ex omnium consensu ; ergo, pari jure, Moïses sic loqui potuit.

Ad secundum. Moïses suos defectus candidè aperit et fatetur. Equidem sese dicit prophetam à Deo missum, sed non superbiæ causâ ; illud enim necessarium erat ad commendandum suum ministerium ; et ad fidem faciendam suis legibus. Semel tantum seipsum laudat et mitissimum dicit, sed eâ occasione quâ laudem istam exigebat Dei gloria ; agebatur enim de leprâ quâ Deus Mariam rebellem castigaverat ; vindicanda erat divinæ ultionis æquitas, et ostendi debebat ultionem hanc non Moïsis in pœnis exigendis intemperantiæ, sed Mariæ iniquitati tribuendam esse.

OBJ. 8°. In fine Deuteron. referuntur Moïsis mors et sepultura ; ergo Moïses non est autor totius Pentateuchi.

R. Scribit Josephus historicus Moïsen propheticè hæc scripsisse. Nos cum omnibus eruditis fatemur hæc vel à Josue vel ab aliis fuisse superaddita, ut uno tenore legerentur ea omnia quæ ad Moïsen pertinent. Hæc tamen tum primum à libro Moïsis forsân fuerunt disjuncta ; sed amanuensium vitio potuerunt, decursu temporis, continuâ serie conscribi. Insuper, cum multis non improbabile judicamus ultimos Pentateuchi versus, in quibus describitur Moïsis obitus, esse initium libri Josue, eosque versiculos decursu temporis

Pentateucho fuisse assutos, ut in eodem libro haberentur quæcumque ad Moïsem spectabant.

OBJ. 9°. Exod. 16. *Filii autem Israël comederunt manna quadraginta annis, donec tangerent fines terræ Chanaan. Gomor autem decima pars Ephî.* Jam verò Moïses asserere non potuit israelitas comedissee manna donec tangerent fines terræ Chanaan; siquidem jamjam non vivebat, cùm illam ingressi sunt. Insuper, Moïses non notasset Gomor esse decimam partem *Ephî*, cùm illud scirent omnes israelitæ, et illam mensuram perfectè cognoscerent.

R. Israelitas quadraginta annis, vivente Moïse, manna in deserto comedissee. Ergo, 1°. asserere potuit Moïses illos per quadraginta annos manna comedissee. 2°. Sciebat Moïses israelitas illo quadragesimo anno in terram Chananæam intromittendos esse nec diutius erraturos; Deus enim num. 14. v. 55. illud Moïsi et Aaroni revelaverat. Sciebat insuper, ipsos in terra Chananæa non esse manna comesturos, quia plaga hæc pingue solum erat, omnibusque fructibus opima regio. Ergo asserere potuit israelitas post quadraginta annos, et cùm terram Chanaan ingressi essent, manna non esse comesturos. Aliundè, qui manna de cælo obtinuit, sanè propheticè ipsius manna cessationem prædicere potuit.

Quantùm ad mensuram Gomor, notat illam esse decimam partem *Ephî*, non gratiâ israelitarum tunc existentium qui illud sciebant, sed, ut moris est eorum qui de mensuris tractant, gratiâ aliorum hominum et posterorum quos latet mensurarum valor.

OBJ. 10°. Citat autor Pentateuchi plures libros Moïsis, v. g. librum *Legis*, librum *Fæderis*, librum *Mansionum* filiorum Israël, librum *Bellorum* Domini, librum belli *Amalec*: atqui, inquit Spinosa, tot libros simul cum Pentateucho scribere non potuit, nec illos citasset, si scripsisset; ergo Moïses Pentateuchum non scripsit.

R. 1°. N. MIN. Quadraginta anni quibus Moïses in deserto commeratus est, ipsi satis fuerunt ut omnes libros citatos simul cum Pentateucho scriberet. Innumeri autores breviori tempore plura conscripserunt. Insuper, nihil impedit quominus ipse suos libros citaverit: quòt enim autores prioribus operibus nova scripta confirmant, suosque ad ea relegenda lectores invitant!

R. 2°. Prædictos libros non esse à Pentateucho diversos. Dici potest, nec contrarium probabitur, librum *Legis* esse Deuteronomium, librum *Fæderis* esse collectionem præceptorum Decalogi ac aliorum quæ in monte Sinai tradita sunt, et quæ Exod. cap. 20 et sequent. referuntur. Dici potest librum *Mansionum* Israël esse librum Numerorum, in quo reverà innumera israelitarum gesta, cùm manerent in deserto, memorantur. Liber belli *Amalec* probabilis est ipsum caput 17. Exodi, in quo reipsâ describitur illud bellum. Quantùm ad librum bellorum Domini, cap. 21. Numer. in quo liber iste appellatur, hunc fuisse à Moïse scriptum non asseritur; nihil consequenter exindè inferri potest. Quidam post Abenesram dicunt hunc esse librum Judicum, et à Moïse citari ut dein-

ceps scribendum, non verò ut jam scriptum: quod facile non crediderim. Quidquid sit, non inficiamur potuisse existere librum bellorum Domini Pentateucho antiquiorem, huncque esse lapsu temporis deperditum, ut plures alii. Fatemur hunc librum cujus incertus est autor, à Moïse laudatum fuisse; sed ex iis minimè sequitur Moïsem non esse Pentateuchi autorem.

OBJ. 41°. Genes. 36, sic habetur: *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequàm haberent regem filii Israël, fuerunt hi, Bela filius Beor, etc.* Statimque numerantur octo reges, et undecim duces qui nonnisi post reges imperârunt, ut constat lib. 4. Paralipom. cap. 4. undè sic argumentor. 1°. Tempore Moïsis, in terra Edom seu idumæorum nondum fuerant duces. 2°. Etsi fuissent duces, non potuissent ab Esaü idumæorum parente usque ad Moïsem, id est, 200 circiter annis, octo reges et undecim duces sibi succedere. 3°. Tempore Moïsis, isaëlitæ nondum habuerant regem. Ergo ille textus à Moïse non fuit scriptus.

R. Ad primum. Falsum est idumæos antè Moïsem non habuisse duces; siquidem in carmine Moïsis, in quo canitur maris rubri transitus, legitur: *tunc conturbati principes Edom.*

Ad secundum. Juxta probabiliorè sententiàm ab Esaü ad Moïsem fuerunt quadringenti anni. Verùm etiãmsi non effluxissent nisi ducenti, regnare potuerunt successivè decem reges; certum est enim ex omnibus historiis, sive sacris sive profanis, hoc temporis spatio vulgò plures quàm octo reges sibi succe-

dere. Insuper, à Jacobo fratre Esaü ad Moïsem, idem circiter fuit numerus generationum. Quantum ad duces undecim, fatemur illos regibus successisse, uti lib. 4. Paralip. cap. 4. refertur; sed dicimus illos sibi non successisse, sed simul administrasse varias idumæorum provincias. Quidam ex illis forsàn sub regibus provincias gubernabant. Alii post reges et antè Moïsis ætatem imperare potuerunt. Plures alii Moïsi fuerunt coætanei. Plures autem fuisse simul idumæorum principes Moïsi coætaneos indicare videntur hæc verba cantici Moïsis quæ jam laudavimus: *conturbati sunt principes Edom.* Si enim unus fuisset rex Edom, vel princeps, quandò hoc carmen à Moïse conditum est, et quando mare rubrum de quo loquitur divisum est, non dixisset plurali numero, *conturbati sunt*, sed *conturbatus est.*

Ad tertium. 1°. Populi orientales aliquandò duces suos reges appellabant. Ipse Moïses Deuteron. 35. appellatur *rex justus.* Libro Judith. cap. 1. dicitur non fuisse regem in Israël, ut significetur tunc non fuisse judicem, seu ducem. His positis, hæc verba, *antequàm regem haberent filii Israël*, significare possunt: usque ad Moïsem qui primus fuit dux isaëlitarum, et qui illos monarchico regimine rexit. 2°. Multi post Maimonidem sentiunt reges idumæorum fuisse extraneos. Quibus positis, hic videtur esse genuinus Moïsis sensus: idumæi jamjam octo regibus extraneis servierunt, durumque jugum ab alienigenis impositum sustinuerunt, dum tamen filii Israël propriis legibus semper usi fuerunt, nullumque regem sibi imperantem hucusquè experti sunt.

OBJ. 12° Deuteron. 5. de *Og* rege Basan disserens historicus hæc scribit : *Monstratur lectus ejus ferreus qui est in Rabbat filiorum Ammon novem cubitos habens longitudinis*. Atqui Moïses regis *Og* magnitudinem ex ipsius lecto israelitis non probasset, siquidem omnes israelitæ ipsum viderant, hunc regem et ipsius lectum spectaverant. Ergo Moïses Deuteronomii non est autor.

R. Equidem magna pars israelitarum *Og* vel vivum, vel cæsum spectaverat. Plures tamen senes, infantes, ægroti, et omnes judæorum posteri eum conspicere non potuerant. Moïses itaque ut hos omnes, et alios qui in decursu temporis librum ipsius lecturi erant, de ingenti gigantis proceritate certiores faceret, in probationem affert ipsius lectum positum in Rabbat ammonitarum, ejus longitudo erat novem cubitorum. Lectus autem ille cum pretiosa regis suppellectili in Rabbat ammonitarum transvehi potuit vel antè prælium, vel statim post prælium, ne à victoribus diriperetur.

OBJ. 15° Deuteron. 2. legitur habitasse *Israël in terra possessionis quam dedit illi Dominus* : atqui tamen non habitavit in terra possessionis suæ quam dedit illi Dominus, nisi post Moïsis obitum ; ergo Moïses hæc non scripsit.

R. Hæc intelligenda esse tantùm de filiis Ruben et Gad qui, vivente adhuc Moïse, occupaverant partem citeriorem Jordanis, quæ ipsis à Deo promissa fuerat et in cujus possessionem jamjam venerant.

OBJ. 14° Deuteron. 5. sic legitur : *Jair filius Manasse..... vocavit ex nomine suo, Havot Jair, id*

est : villas Jair usque in præsentem diem. Jam verò hic modus loquendi, *usque in præsentem diem*, designat factum de quo agitur jam à longo tempore contigisse : atqui tamen Jair ipso anno quo obiit Moïses regioni de qua agitur dedit nomen ; ergo, etc.

R. Hanc formulam quæ autoribus judæis familiaris est, non designare apud eos magnam temporis distantiam. Hinc Malteus de agro quem emerant judæi argento Judæe proditoris dicit agrum hunc vocatum fuisse *Haceldama*, id est, agrum sanguinis *usque in præsentem diem*. Deuteron. 21. similis locutio reperitur occasione facti quod non ita pridem contigerat.

OBJ. 13° Tempore Moïsis nulla erat scriptura, sed à Cadmo fuit inventa ; ergo Moïses non scripsit Pentateuchum.

R. N. ANT. Nain, 1° gratis illud asseritur, nulloque argumento evincitur. 2° Jam inventam fuisse scripturam fatetur ipse Spinosa qui librum Bellorum Domini, librum Fœderis, etc. adscribit Moïsi. 3° Illud probatum fuit omnibus argumentis quibus Moïsen esse autorem Pentateuchi demonstravimus. Non potuit enim hunc librum scribere, nisi inventa tunc esset scriptura. 4° Reipsa quidem Cadmus, anno antè Christum 4519 scripturam seu literas 16 alphabeti transtulit ad græcos, sed non invenit. 5° Consuli potest D. Pluche, qui in *Historia cæli* contendit idololatriam cum signis symbolicis et cum scriptura natam esse. Jam verò idololatria est Moïse antiquior, siquidem ægyptii et chananæi tempore Moïsis jam erant idololatriæ addicti, ut constat ex libris Pentateuchi cujus veritatem osten-

dimus, sive Moïses sit autor Pentateuchi. sive non, ut antea notavimus.

Illæ sunt variae argumentationes quibus Abenesra, Spinosa in Tractatu theologo-politico, Hobbesius in Leviathan, Pererius in systemate Præadamitarum, Richardus Simon libro jam citato, autor lib. cui tit. *Sentimens de quelques théologiens de Hollande sur l'histoire du Vieux Testament*, comprobare aggressi sunt Pentateuchum non esse Moïsis opus. In iis refellendis potissimum operam dederunt *Huetius*, *Levassor*, et *Jacobus Abbadie* in suis Tractatibus de vera religione.

ARGUMENTA

contra tertiam propositionem.

OBJ. 4° Moïses non potuit certò cognoscere ea omnia quæ in Genesi narrantur. Quomodo enim cognovisset facta quæ non viderat, et quorum plurima super viginti sæcula antequàm nasceretur contigerant? Ergo nulla ipsi adhibenda fides.

R. N. ANT. Nam cum Moïses gestorum quæ in quatuor ultimis Pentateuchi libris, videlicet in Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio referuntur, fuerit testis oculatus, certò hæc omnia cognoscere potuit, in eoque nulla est difficultatis umbra. Undè, si demonstraverimus Moïsen insuper facta antiquiora quæ in Genesi referuntur, quæque propriis oculis non vidit, tamen certò cognoscere potuisse, sanè penitus corrui argumentum. Atqui Moïses certò cognoscere potuit facta

antiquiora quæ in Genesi leguntur, v. g. creationem, diluvium, etc.

4° Per traditionem. Nam Amramus, pater Moïsis, diù vixerat cum Levi avo suo, Levi diù cum Isaaco; Isaacus diù cum Sem, Sem cum Noë patre suo; Noë ferè sexcentis annis cum Mathusale, qui ducentis annis cum Adamo viverat. Igitur inter Amramum patrem Moïsis et Adamum non fuerunt nisi quinque viri intermedii, quorum posteriores cum prioribus diù confabulati fuerant, quique facilè traditione non interrupta potuerunt usque ad Moïsen transmittere facta quæ in Pentateucho narrantur, præsertim cum hisce temporibus ferè nullæ inventæ essent artes, nullaque esset historia de qua colloquium esset, et patres diutissimo temporis intervallo cum filiis vixerint.

2° Verissimile est, seu saltem contrarium demonstrari nequit, tunc fuisse annales conscriptos in quibus hæc gesta servarentur.

5° Ex iis factis permulta cognoscere potuit per monumenta quæ tunc erigi solebant et erecta fuerant ab Abrahamo, Isaaco, Jacobo, etc. putei fodiebantur, altaria extruebantur, lapidum acervi elevabantur, quæ omnia erant totidem factorum monumenta.

4° Nomina patriarcharum sæpè significabant id quod in ipsorum natalibus fuerat singulare, aut beneficia à Deo accepta, aut eventus memoriâ dignos. Talia sunt nomina Noëmi, Ahrahami, Isaaci, Israël's, quæ in memoriam facta ad illos viros insignes spectantia revocabant.

5° Hæc facta Moïses ediscere potuit per cantica in